

potest per repetitionem illius acquirere habitum bonum, sed ille actus etiam ex parte finis bonus est, et ob honestatem factus, et quantum ad hoc habet bonum modum, et fit juste, sed ex parte operantis non fit ex habitu, et sic dicitur non fieri juste, id est, non ex animo firmato ad justitiam.

ARTICULUS II.

Qui de circumstantiis aggravantibus, vel minuentibus, et non dantibus speciem?

I. Circa istas circumstantias tantum aggravantes, et non dantes speciem, de quibus agit D. Thomas in altera regula a nobis supra posita, difficultates aliquæ se offerunt, quas sigillatim oportet explicare.

QUOMODO DISCERNATUR CIRCUMSTANTIA PUREA AGGRAVATIVA A SPECIFICATIVA?

II. Primo ergo inquires, quomodo possit dignosci quando circumstantia est tantum aggravans, et non dans aliquam speciem etiam accidentalem; quando vero dat distinctam speciem malitiæ, sive essentialem, sive accidentalem.

III. Respondetur hoc debere colligi ex regulis D. Thomæ supra positis. Nam quoties aliqua circumstantia ratione sui, et non ratione solum alicujus præsuppositi dicitur specialem ordinem ad rationem, sive in pro, sive in contra, talis circumstantia constituit, seu de se constituere potest speciem moralem. Ut si ex se et ex propria ratione opponitur alicui speciali virtuti, et sic dicitur specialem ordinem, et respectum oppositionis ad rationem, talis cir-

cumstantia constituit specialem malitiam, seu speciem aliquam mali. Et hoc a posteriori colligitur, quia si illa circumstantia inveniretur in actu sine illa priori ratione, vel malitia, daret primam, et essentialem speciem, quia tolleretur specialem ordinem, seu regulationem rationis, quæ est specialis virtus, et illa sublata constitueret malitiam tamquam primam speciem illius actus in genere mali; ergo de se illa circumstantia habet sufficientem rationem ad constituendam speciem. Quod vero de facto aliquando non constituat speciem essentialem actus, erit ex eo quod advenit actui supponendo aliquam priorem speciem malitiæ, per quam est constitutus, sicut si furto advenit ratio sacrilegii, quia fit in loco sacro, aut mœchiæ adveniat ratio nova injustitiæ, quia fit ex intentione furci, aut homicidii. Et in tali casu ista secunda circumstantia adveniens constituet speciem accidentalem, quia malitia quam præbet non est intra spheram, et ordinem malitiæ prioris specificantis actum, sed omnino distincta, et alterius speciei; sed quia ista distincta species malitiæ est superveniens primæ, et eam præsupponens, dicitur accidentaliter respectu illius, de se tamen sufficiens malitia est ad dandam, et constituendam speciem moralem. Nec enim istæ species ita se habent, quod una sit substantia, et aliæ accidentia, sed omnes accidentia sunt respectu entitatis actus. Unde non repugnat, quod illa quæ de se est sufficiens dare primam moralem speciem actui, det accidentalem speciem, si superveniat illi, vel e converso, prout in ipso actu habuerit rationem objecti, vel non habuerit.

IV. Quando autem circumstantia ex se, et ex propria ratione non respicit specialem ordinem rationis in

pro, vel in contra, quia non respicit ordinem rationis ex se, nisi aliqua alia circumstantia, vel ratione priori præsupposita, talis circumstantia non est constitutiva speciei distinctæ priori, sed tantum aggravativa, vel minorativa illius intra eandem speciem, sicut quantitas furci, non addit distinctam speciem a furto, sed aggravat, vel minorat furci malitiam, eo quod quantitas rei non opponitur ordinationi, et regulationi rationis, nisi supponendo rem esse alienam, et hac ratione præsupposita, et non ratione sui præcise, induit respectum, et ordinem ad rationem. Unde intra illam speciem opponitur rationi, non extra illam. Et ratio hujus est, quia remota illa priori ratione, verbi gratia ratione alieni, quantitas illa major, vel minor non manet specialiter prohibita, nec opposita specialiter ordini rationi, sed manet indifferens: ergo signum est, non habere specialem malitiam, sed si quam habet, vel addit, est intra speciem illam, quam præsupponit, et ratione cujus dicit ordinem ad rationem. Et istæ dicuntur circumstantiæ aggravantes, vel diminuantes, non constituentes speciem, quia ratione sui non dicunt specialem ordinem ad rationem in pro, vel contra, sed solum intra aliam priorem rationem specificativam, quam extendunt vel minuunt.

V. Sed contra istam regulam dignoscendi, et discernendi circumstantiam aggravativam a specificativa, occurrunt plures difficultates, et instantiæ, quæ possunt fieri in contrarium. Nam verbi gratia in furto sacrilego, etiam locus sacer remoto furto non est specialiter prohibitus, sed indifferens manet ad bonum, et ad malum; et tamen posito furto non est solum aggravativa circumstantia, sed etiam specificativa, quia dat distinctam speciem a furto, utpote sacrilegium,

quod opponitur distinctæ virtuti, scilicet religioni; ergo regula tradita deficit. Idem apparet in materia luxuriæ, nam circumstantia personæ, verbi gratia, quod sit uxorata, vel consanguinea, remota priori malitia mulieris alienæ non habet specialem oppositionem ad rationem, neque malitiam aliquam specialem, aut prohibitionem, et tamen constituunt distinctam speciem, et malitiam specialem per se in ipso actu; ergo etiam si aliqua ratio non dicat specialem ordinem ad rationem nisi supposita aliqua priori ratione, et non alias, non propter hoc erit circumstantia aggravativa tantum, sed etiam potest esse specificativa.

VI. Secundo urget e contrario, quia potest aliqua circumstantia per se dare speciem, seu malitiam specialem etiamsi ad sui malitiam necessario supponat aliquam priorem rationem mali; sicut patet quod quantitas in furto non dicit ordinem contra rationem, nisi supponendo rationem alieni in ablatione, et tamen sola quantitas sufficit constituere malitiam mortalem, ut si quis furetur centum aureos, quam non sufficit constituere sola ablatio rei alienæ præcise sumpta prout abstrahit a quantitate magna, vel parva, ut patet in furto unius ocii, quod est peccatum veniale. Malitia autem mortalis est per se, et essentialiter malitia, imo malitia venialis est analogice solum peccatum cum peccato mortali. Ergo falsum est, quod specialis malitia, seu species malitiæ non possit dari a circumstantia, nisi quando de se dicit aliquem ordinem ad rationem non supponendo aliam rationem priorem, cum quantitas magna, quæ est circumstantia in furto constituat malitiam mortalem.

VII. Confirmatur, quia in prodigalitate, excessus ex parte dantis, et

ex parte recipientis non est duplex malitia, sed unicum peccatum prodigalitatē quod superflue expendit id quod superflue recipitur, et tamen quælibet ex his circumstantiis de seclusa alia sufficit constituere malum, et repugnat rationi; ergo bene stat quod aliquid de se repugnet rationi, et tamen non multiplicet, neque addat novam malitiam, et sic regula illa deficit.

VIII. Tertio est difficultas, quia alias sequeretur juxta istas regulas, quod quando plures circumstantiæ intra eandem speciem concurrunt, dabunt distinctas malitias, vel bonitates numero, quia quælibet earum dicit distinctum ordinem numero ad intellectum; ergo multiplicabuntur numerice bonitates, vel malitiæ in eodem actu, cum tamen in sententia D. Thomæ non admittantur plura accidentia numerice distincta in eodem subjecto, atque adeo neque in eodem actu, qui est immediatum subjectum bonitatis, vel malitiæ.

IX. Ad primum quod ad instantiam de sacrilegio quando accumulatur furto, dicimus quod remoto furto adhuc invenitur malitia sacrilegii in illa circumstantia, si quidem circumstantia illius actus non est locus materialiter, et physice sumptus, sed locus quatenus subest actioni nostræ, id est, tractatio illa loci sacri injuriosa, et hæc etiam independentē a furto semper in se est mala, et ex se malitiam habet specialem, et distinctam a furto, sicut profanatio templi sine furto, et sine alia malitia adjuncta, in se mala, et peccaminosa est. Quare cum inveniamus in tractatione irreverenti loci sacri verum, et proprium sacrilegium, seu malitiam etiam sine furto, consequenter dicimus, quod quando accumulatur furto, non intra eandem speciem furti malitiam auget, sed distinctam præbet.

X. Ad instantiam vero alteram de circumstantia personæ in materia luxuriæ dicimus eodem modo, quod persona uxorata, vel consanguinea non sumitur pro circumstantia luxuriæ physice, et entitative tantum considerata, sed ut subest actioni injuriosæ, seu læsivæ, sive sit in materia luxuriæ, sive non, sic enim invenimus, quod circa consanguineam potest quis irreverenter se habere non observando virtutem pietatis, quæ est circa honorationem parentum, et consanguineorum, ut verberando, molestando, bona illis inferendo, etc. Unde quando accumulatur læsio consanguineorum in materia luxuriæ distinctam malitiam superaddit, non intra eandem auget. Et idem invenitur circa alienam uxorem, cui etiam extra materiam luxuriæ potest fieri injuriosa tractatio in conjugis injuriam. Et sic accumulata illa injustitia materiæ luxuriæ erit nova, et distincta malitia.

XI. Quod si dicas: Nam hoc modo etiam circumstantia quantitatis, ut subest actioni nostræ læsivæ, aliam speciem constituet, et sic accommodata furto non aggravabit intra eandem speciem, sed distinctam constituet, respondetur non posse actionem respicientem quantitatem esse læsivam, nisi supponendo esse alienam, circa propriam enim quantitatem non datur læsio contra justitiam, licet possit dari prodigalis distributio, quoad hoc enim est sicut aliena, quatenus alienis regulis subjecta: et sic quantitatis rei prodige expensa, supponit in debitam distributionem in ly prodige. Semper ergo supponit priorem aliquam rationem, quam nisi supponat, malitiam non importat.

XII. Ad secundum respondetur, quod circumstantia quantitatis, nec venialem, nec mortalem culpam, seu malitiam constituit ratione sui

præcise et immediate, sed supponendo semper ablationem rei alienæ, seu illam circumstantiam alieni. Unde quando super hanc rationem alieni crescit quantitas pervenitur ad mortalem malitiam, non quia illam ratione sui det quantitas, sed ratione alieni, quam præsupponit, et nisi supponeret non daret, atque ita culpa mortalis resultat ex aliena quantitate notabili, ita tamen quod illa ratio alieni sit per se formalis ratio constitutiva peccati quantum ad speciem ejus, quantitas autem notabilis dat conditionem requisitam ex parte materiæ, ut illa ablatio alieni sit peccatum mortale; et sic cum quantitas sit conditio, seu proprietas consecuta ex parte materiæ, quando talis quantitas fit notabilis, non est ipsa id, quod formaliter constituit peccatum furti in ratione peccati mortalis, sed est conditio ex parte materiæ, ut ablatio alieni, quæ est formale in peccato furti, constituat speciem peccati mortalis. Constituta autem specie, seu ratione peccati mortalis, quantitas superaddita non constituit speciem aliquam distinctam, sed aggravat intra eandem speciem, quia ex parte materiæ illius peccati se tenet. Quare non est necesse, quod speciem formalem malitiæ constituat formaliter id quod ad rationem peccati mortalis requiritur, puta vel major advertentia, vel notabilis quantitas, sed species formalis in peccato semper est attendenda ex parte objecti, ratio vero mortalis, vel venialis non sunt per se differentie constitutive peccatorum in specie, licet possint consequi differentias per se constitutivas eorum, quando ex ipsa specificatione objecti consequuntur, ut docet S. Thomas infra quæst. LXXII, artic. v. Et sic nihil prohibet in eadem specie inveniri peccatum mortale, et veniale, ut dicit ibidem solutione ad primum.

Quare licet quantitas notabilis requiratur, ut conditio materiæ ad constituendum peccatum mortale furti, tamen species peccati in furto, etiam quando mortale est, non sumitur ex quantitate rei ablatæ, sed ex ipsa formali ratione alieni, quæ secundum se dissonat rationi, et quando habet adjunctam illam conditionem quantitatis notabilis ex parte materiæ dissonat mortaliter.

XIII. Ad confirmationem respondetur, quod in prodigalitate illi duo excessus in dando, vel recipiendo non sunt circumstantiæ, sed conditiones objecti, eo quod objectum prodigalitatē antecedenter ad omnes circumstantias est dare plusquam oportet. Et ista superfluitas componitur ex utroque excessu tantantis, quam recipientis, nec enim nimium daretur ex parte dantis si esset justa necessitas, et nulla superfluitas ex parte recipientis. Quare negamus unam istarum conditionum sufficere sine alia ad malitiam prodigalitatē, qui una nullo modo potest ab alia separari, sed necessario una consequitur ad aliam, et ad invicem se supponunt. Nec istæ conditiones se habent ut circumstantiæ adjunctæ, et superadditæ speciei actus constitutæ, sed in ipso objecto prodigalitatē includuntur, ut constitui possit tale objectum in ratione objecti prodigalitatē, et sic non currit de illis regula, quam supra posuimus de circumstantiis aggravantibus: sicut etiam contemptus legis, aut inobedientia præcepti, prout est generalis conditio cujuscumque peccati non est circumstantia specialis.

XIV. Ad tertium respondetur, quod quando circumstantiæ addunt distinctam speciem malitiæ accidentalem, tunc diversæ circumstantiæ hujus generis dant distinctas malitias, non solo numero, sed specie

diversas, scilicet diversas specie accidentali, sicut in eodem subjecto possunt esse diversa accidentia specie accidentali diversa; quæ etiam individua quædam accidentalia sunt, sed non solo numero intra eandem speciem differentia, sed diversæ speciei accidentalis existentia. Quando autem circumstantiæ non dant diversam speciem accidentalem, sed aggravant intra eandem speciem, tunc non resultant diversæ malitiæ, vel bonitates numero intra eandem speciem, sed una et eadem gravior, seu major extensive, vel intensive, sicut furtum magnæ quantitatis non habet plures malitias numero diversas, unam unius quantitatis, et aliam alterius, sed unicam malitiam furti aggravatam, et extensam tota illa quantitate. Et qui multo tempore perseverat in uno actu peccati, illa major duratio non constituit plures malitias numero diversas penes diversas partes durationis, sed unam toto illo tempore extensam. Et idem est de intensione actus peccandi, quæ unicam numero malitiam illius circumstantiæ tribuit, non plures, sicut qualitas intensa non plures qualitates dicit, sed unam perfectiorem; sic circumstantia illa magis extensa, vel intentat unam malitiam graviolem constituit, non plures. Si vero alia distincta circumstantia addatur, quæ etiam aggravet, illa distinctam malitiam, vel bonitatem tribuet, sed diversæ speciei accidentalis, si illa sit nova circumstantia specie diversa.

QUOMODO CIRCUMSTANTIA ADDENS DISTINCTAM MALITIAM AUGEAT PROPRIAM, QUÆ SUMITUR EX OBJECTO.

XV. Secundo inquires: An quando malitia actus augetur ex circum-

stantia adjuncta, crescat etiam malitia actus intra latitudinem suæ propriæ speciei, et malitiæ; an solum extrinsece augeatur ex malitia adveniente, verbi gratia, quando quis occidit ut furetur, difficultas est, an præter malitiam distinctam furti, quam addit illa circumstantia finis supra malitiam homicidii, etiam ipsum homicidium intra suam speciem crescat in malitia propria homicidii, ita quod non solum superaddatur distincta furti malitia, sed etiam aggravetur malitia homicidii.

XVI. Et videtur, quod semper ita fiat quia peioris voluntatis est homicidium, quod non renuit sibi aggregare malitiam distinctam furti, quam illud quod sola simplici voluntate occidendi fit, illud enim fit ex voluntate magis inclinata in malum, magisque corrupta; ergo non solum accumulatione furti, sed etiam aggravatione homicidii voluntas illa redditur corruptior, atque adeo gravior homicidium fit. Et confirmatur exemplo adulterii, vel sacrilegii, quod intra speciem, et materiam luxuriæ aggravant malitiam luxuriæ præter speciem malitiæ, quam addunt contra justitiam, vel contra religionem. Ergo actus qui augetur in malitia ex circumstantia adjuncta recipiendo ab illa malitiam novæ, et distinctæ speciei accidentalis, etiam intra suam propriam speciem augetur, et aggravatur in propria malitia.

XVII. E contra vero videmus, quod aliquando non crescit, neque augetur malitia propria alicujus actus ex majori circumstantia adjuncta, sed ex minori, ut verbi gratia, qui occidit ad furandum mille aureos, et qui occidit ad furandum decem, nam iste secundus gravior homicidium facit, quam primus, utpote cum minori motivo impellente peccaverit, atque adeo ex majori

voluntate. Et in universum, qui ex majori tentatione impulsus peccat, levius peccat, quia majori contrario succumbit, et tamen aliquando in majori tantoque gravius peccatum occurrit, ut si quis vehementius, tentetur ex visu mulieris conjugatæ, vel monialis, quam ex visu mulieris solutæ.

XVIII. Respondetur in hoc attendendum esse ad id quod habet rationem majoris motivi ad constituendum actum magis voluntarium, vel magis contemptivum legis. Exinde enim crescit major malitia saltem in individuo, et in exercitio. Si enim ex circumstantia adjuncta crescat in ipso actu etiam erga objectum proprium major ratio voluntarii, vel major contemptus legis, sine dubio aggravabitur peccatum, etiam intra latitudinem propriæ speciei; sicut etiam e contra si erga finem intentum crescat major ratio voluntarii, vel major Dei contemptus ex mediis adhibitis, et ex objecto actus, etiam illa circumstantia finis intra suam propriam speciem, et rationem circumstantiæ talis aggravabitur. Et elicitur hoc ex doctrina S. Thomæ 2-2, quæst. CLIV, artic. 1 ad secundum ubi dicit: « Quod augetur in adulterio ex circumstantia injustitiæ malitia luxuriæ, quia ex hoc ostenditur gravior malitia luxuriæ, quod ita sequitur concupiscentiam, quod pro illa contemnat justitiam. » Sentit ergo D. Thomas non solum extrinseca adjunctione injustitiæ luxuriam infici, sed etiam intra ipsam speciem malitiæ luxuriæ aggravari. Nam voluntas tanto est peior circa aliquod objectum, et intra speciem illius, quanto præ illius amore non recusat aliquid prioris circumstantiæ, aut majorem contemptum legis, quando autem actus procedit a peiori voluntate, vel actus fit magis voluntarius, tanto magis crescit ipsa malitia in actu circa

omne illud in quod talis voluntas fertur; ergo etiam circa objectum proprium, et intra speciem ab illo acceptam aggravatur malitia, si crescit voluntarium, aut voluntas est peior, peior autem est quoties fertur in illud objectum non recusando pro illius prosecutione peiorem, et magis deformem circumstantiam.

XIX. Est tamen considerandum, quod quando crescit malitia ex circumstantia adjuncta non est regulanda, neque mensuranda crescentia illius malitiæ ex quantitate, aut ex crescentia ipsius circumstantiæ in se, et absolute considerata, sed respective, et quatenus conducit ad hoc, ut crescat in actu, vel major legis contemptus. Nam contingere potest aliquando, quod circumstantia quæ in se, et nude considerata est minoris malitiæ augeat propriam malitiam actus, et aggravet illam intra propriam speciem, et objectum, sicut in exemplo supra relato, si quis occidat aliquem ut furetur decem aureos, alius ut furetur mille, non est dubium quod circumstantia furti secundum se est minor in furto decem aureorum, quam in furto mille, et tamen homicidium factum pro furto decem est gravior, et deformius in individuo, et intra eandem speciem, quam factum pro furto mille, quia furtum mille est vehementius impulsivum, et major tentatio, quam furtum decem, et sic qui ob furtum, tam parvum occidit, et ita illa circumstantia minoris furti inducit in actu majorem contemptum legis, et respective ad illud motivum est major, licet in se entitative, et nude considerata sit minor intra rationem furti. Aliquando vero potest ex majori tentatione quis peccare, et tamen gravior peccatum esse ob circumstantiam aliam graviolem adjunctam, quam qui pec-